

Chrysofomus in hom. (35.) Intelligendum, donec fuerit discipulus, & servus; non est, inquam, super magistrum, & dominum, secundum honoris naturam. Nec mihi ea quæ raro contingunt hic obijciunt; sed ab his quæ sunt in pluribus, suscipe hunc sermonem. *Remigius*. Magistrum autem, & dominum semetipsum appellat: per servum, & discipulum, suos vult intelligi Apostolos. *Glossa* (ordinaria.) Quasi dicat: Ne indignemini tolerare quæ tolero, quia dominus sum, faciens quod volo, & magister, docens quod utile scio. *Remigius*. Et quia hæc sententia minus videbatur superioribus verbis congrua, quo tendant verba, manifestatur cum subditur: *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius?* *Chrysofomus* in hom. (35.) Non dixit servos, sed domesticos, ut multam ad eos familiaritatem ostenderet; sicut & alibi dixit (Joan. 15.) „ Non „ dicam vos servos, sed amicos meos. „ *Remigius*. Quasi dicat: Vos ergo temporales honores, & humanam gloriam non queratis: dum me videris per irrisiones, & opprobria genus humanum redimere. *Chrysofomus* in hom. (35.) Non solum autem dixit: Si domus dominum conviciati sunt, sed ipsam speciem convicii, quoniam Beelzebub eum vocaverunt. *Hieronymus* (super *Si patrem familias Beelzebub*.) Beelzebub idolum est Acharon, quod vocatur in Regnum volumine idolum muscæ: Beel, ipse (1) est Bel, sive Baal, zebub autem musca dicitur. Principem ergo dæmoniorum ex spurcissimi idoli appellabant vocabulo, qui musca dicitur propter immunditiam, quæ exterminat suavitatem olei.

(k) *Remigius* Post præmissam consolationem, aliam non minorem subjungit, dicens: *Ne ergo timueritis eos, scilicet persecutores.* Quare autem non esset timendum, manifestat cum subjungit: *Nihil enim est opus quod non reveletur, & occultum quod non sciatur.* *Hieronymus* (hoc loco.) Quomodo ergo in præsentis sæculo multorum vitia nesciuntur? sed de futuro tempore scribitur, quando judicavit Deus occulta hominum, & illuminavit latebras tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium (1. Corinth. 4.) Et est sensus: Nolite timere persecutorum sævitiam, & blasphemantium rabiem: quia veniet dies iudicii, in quo & vestra virtus, & illorum nequitia demonstrabitur. *Hilarius* (can. 10. in Matth.) Igitur non minas, non convitia, non potestates insectantium monet esse metuentas: quia dies iudicii nulla hic fuisse atque ina-

(1) *Al.* omittitur est. (2) *Al.* per ipsos. (3) *Al.* intendunt. (4) *In Venetis duobus jam citatis exemplis, & in eodem Antverpiensi sic legitur:* Super tecta; idest, quod vos erudivi in parvulo Judææ loco, universis urbibus in toto mundo audacter edicite: omnibus intermediis omisissis.

tenebris, dicite in lumine; idest, quod auditis in mysterio: apertius predicat; & quod in aure auditis, predicat super tecta; idest, quod vos erudivi in parvulo Judææ loco, universis urbibus in toto mundo audacter edicite. *Chrysofomus* in hom. (35.) Sicut autem quando dicebat Joan. 14. „ Qui credit in me, opera quæ „ ego facio, & ille faciet, & majora his faciet: „ ita & hic monstrat quoniam omnia per eos operatur, etiam plusquam per seipsum; quasi dicat: Principium ego dedi; sed quod plus est, per vos explere volo. Hoc autem non injungentis est solum, sed & futurum prædicentis, & ostendentis quoniam omnia superabunt. *Hilarius* can. 19. a medio.) Constanter ergo ingerenda est Dei cognitio, & profundum doctrinæ evangelicæ secretum lumine prædicationis revelandum; non timendo eos quibus cum sit licentia in corpora tantum, in animam jus nullus est: & ideo subdit: *Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* *Chrysofomus* in hom. (35. super *Nolite timere*.) Vide qualiter omnibus eos statuit superiores, non sollicitudinem solum, & maledictionem, neque pericula, sed & ipsam quæ omnibus videtur terribilior, mortem suadens propter Dei timorem contemere: unde subdit: *Sed potius eum timere qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* *Hieronymus* (hoc loco.) Nomen gehennæ in veteribus libris non invenitur; sed primo à Salvatore ponitur. Quæramus ergo quæ sit hujus sermonis occasio. Idolum Baal fuisse juxta Hierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fuit, non semel legimus. Hæc vallis, & parva campi planities irrigua erat, & memorata, plenaque deliciis, & (1) lucus in ea idolo consecratus. In tantam autem populus Israel dementia venerat ut, deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, & rigorem religionis delicia vincerent, filiosque suos incenderent dæmoni: & appellabatur locus ipse Gehennon, idest vallis filiorum Hennon. Hoc Regum volumen, & Paralipomenon, & Hieremias scribunt plenissime; & comminatur Deus se locum ipsum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam vocetur Pophet, & Baal, sed vocetur *polyandron*, idest tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia, & pœnæ perpetuæ quibus peccatores cruciandi sunt, hujus loci vocabulo denotantur. *Augustinus* 13. de Civit. Dei (cap. 2.) Hoc autem non antea fiet quam anima corpori fuerit copulata, ut nulla directione separentur; & tamen tunc recte mors animæ dicitur, quia non vivit ex Deo; mors autem corporis: quia in damnatione novissima quamvis homo

sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluntate suavis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, mors potius appellata quam vita. *Chrysofomus* in hom. (35. in Matth.) Vide autem rursus, quia non promittit eis liberationem à morte, sed suadet contemnere mortem; quod multo majus est quam erui à morte; & quod hoc sermone ea quæ de immortalitate sunt dogmata eis insigat.

(1) *Chrysofomus* in hom. (35.) Postquam timorem mortis excluserat, ne æstimentur Apostoli quod si interficerentur, essent delicti à Deo, rursus sermonem de providentia Dei inducit, dicens: *Nonne duo passeres assè veniunt; & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* *Hieronymus* (super *Nonne duo passeres*.) Et est sensus: Si parva animalia absque Deo non decidunt auctore, & in omnibus est providentia, & quæ in his peritura sunt, sine voluntate Dei non pereunt, vos qui æterni æstis, non debetis timere, quod absque Deo vivatis providentia. *Hilarius* (can. 10.) Mystice autem quod venditur, corpus, atque anima est; & cui venditur, peccatum est. Qui ergo duos passeres assè vendunt, seipsum peccato minimo vendunt, natos ad volandum, & ad cælum pennis spiritalibus effereandos; sed capti pretiis præsentium voluptatum, & ad luxum sæculi venales, totos se talibus actionibus nundinantur. Dei autem voluntatis est ut unus ex illis magis evolet; sed lex (2) constitutione Dei perfecta decernit unum ex eis potius decidere. Quemadmodum enim si evolarent, unum essent; fieretque corpus spiritale; ita peccatorum pretio venditis, anima terrenam contrahit ex vitiorum sordè materiam, sique unum ex illis quod tradatur in terram, *Hieronymus*. Quod autem ait, *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt, immentiam Dei erga homines ostendit providentiam, & ineffabilem signat affectum, quod nihil nostrorum Deum lateat.* *Hilarius* (loc. cit.) In numerum enim aliquod colligi diligentia est. *Chrysofomus* (homil. 35.) Unde hoc dixit, non quod pilos Deus numeret, sed ut diligentiam cognitionem, & multam circa eos providentiam ostendat. *Hieronymus* (super *Nonne duo passeres*.) Derident autem intelligentiam ecclesiasticam in hoc loco qui camis resurrectionem negant; quasi nos & capillos qui numerati sunt, & à tonsore decisi, omnes dicamus resurgere, cum Salvator non dixerit, *Vestri autem & capilli omnes salvandi sunt, sed Numerati sunt.* Ubi numerus est, scientia numeri demonstratur, non eisdem numeri conservatio. *Augustinus* ult. de Civitate Dei (cap. 19.) Quamvis & de

(1) *Al.* locus. (2) *P. Nicolai* habet ex constitutione Dei perfecta.

de ipsis capillis possit inquiri, utrum redeat quicquid tondentibus decidit: quod si rediturum est, quis non exhorreat illam deformitatem? Semel autem intellecto, ita nihil perituum esse de corpore, ita ut deforme nihil sit in corpore, simul intelligitur, ea quæ deforme factura fuerant enormitatem, massæ ipsi accessura esse, non locis quibus membrorum forma turbetur: velut si de limo vas fieret quod rursus in eundem limum redactum, totum de toto iterum fieret; non esset necesse ut illa pars limi quæ in ansâ fuerat, ad ansam rediret, aut quæ fundum fecerat, ipsa rursus faceret fundum; dum tamen totum revertetur in totum; id est, totus ille limus in totum vas, nulla sui parte perdita, (1) remearet. Quapropter, si capilli totiens tonsi ad sua loca deformiter redeunt, non redibunt, quia in eandem carnem, ut quemcumque locum ibi corporis teneant, servata partium congruentia, (2) materiæ in utilitatem vertentur. Quamvis, quod dicit Luca 21. Capillus capitis vestri, non peribit, non de longitudine, sed de numero capillorum possit intelligi: unde & hic dicitur: *Capilli capitis vestri numerati sunt.* Hilarius (can. 10. ut supra.) Neque enim dignum negotium est peritura numerare. Ut igitur nihil ex nobis perituum esse cognoscere, ipso capillorum nostrorum supputatorum numero indicatur. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus: & ideo subditur: *Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.* Hieronymus. In quo manifestius superior expositionis sensus expressus est, quod timere non debeant eos qui possunt corpus occidere: quoniam si sine Dei scientia, parva quoque animalia non decidunt; quanto magis homo, qui apostolica fultus sit dignitate? Hilarius (ibid.) Vel cum dicit plurimis eos anserare passeribus, ostendit multitudinè infidelium electionem fidelium præesse: quia his casus in terra est, illis volatus in caelum. Remigius. Mystice autem Christus caput est, Apostoli capilli; qui pulchre numerati dicuntur, quia nomina sanctorum scripta sunt in caelis.

(m) Chrysostr. (homil. 35.) Ejiciens Dominus timorem, qui discipulorum concutiebatur animam per ea quæ consequuntur rursus eos confortat, non solum timorem ejiciens, sed & spe præriorum majorum eos erigens in liberam propagationem veritatis, dicens: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in caelis.* (3) Considera autem diligenter, quod non di-

xit, *Qui confitebitur me*; sed quemadmodum Græce legitur, *Qui confitebitur in me*, ut tibi offenderet non propria virtute, sed gratia superiore adjutum, confiteri eum qui confiteatur. Hilarius (ibidem.) Hoc concludendum dicit, quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam (4) Dei confitendi habere constantiam. Remigius. Confessio autem hic illa intelligenda est de qua dicit Apostolus, Rom. 10., Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. Ne ergo aliquis putaret se absque oris confessione posse salvari, non solum ait, *Qui me confessus fuerit*, sed addit, *Coram hominibus*: & iterum addit: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui est in caelis.* Hilarius (ibidem.) In quo ostendit, quales nos testes hominibus fuerimus, tales apud Deum Patrem testimonio ejus usuros. Chrysostr. in hom. (35. circa med.) Ubi considerandum est, quia in pena amplius est supplicium, & in bonis major retributio. Quasi dicat: Superabundasti prius, me hic confitendo, aut negando; superabundabo & ego, ineffabiliter tibi majora dando: illic enim ego te confitebor, aut negabo. Propter hoc si feceris aliquid bonum, & non susceperis retributionem, ne turberis: cum additamento enim in futuro tempore retributio te expectat. Et si feceris aliquid malum, & non exolveris vindictam, non contemnas: illic enim te excipiet pena, nisi transmuteris, & melior fias. Rabbanus (super *Omnis qui confitebitur*.) Et sciendum, quod negare quod Deus non sit, nec Pagani possunt; sed quod non sit Deus Filius, & Pater, negari ab infidelibus potest. Confitebitur ergo aliquem Filius apud Patrem, quia per Filium habebit accessum ad Patrem, & quia Filius dicit (infra 25.) *Venite benedicti Patris mei.* Remigius. Negabit autem negantem se, quia per ipsum non habebit accessum ad Patrem, & à conspectu suæ divinitatis, & Patris repelletur. Chrysostr. (hom. 35. à med.) Ideo autem non solum fidem, quæ est secundum mentem, sed & confessionem exigit oris, ut erigat nos in liberam propagationem; & ampliore amorem, excelsos nos faciens, hæc autem verba ad universos loquitur solum: non enim solos Apostolos, sed & discipulos eorum facit viriles. Qui nunc hoc servat, non solum cum libera propagatione docebit, sed & omnibus facile suadebit: hujus enim verbi observatio multos ad Apostolos adduxit. Rabbanus. Vel confitebitur quis Jesum ea

scilicet quæ per dilectionem operatur, mandata ejus fideliter implendo; negat qui præceptis non obedit.

(n) Hieronymus. Supra dixerat: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*: nunc infert quid post predicationem sequatur, dicens: *Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium.* Glossa, (a) Vel aliter continua. (1) Sicut timor mortis non debet attrahere, sic nec carnalis affectus. Chrysostr. (hom. 36.) Qualiter ergo eis injunxit ut in unamquamque domum ingredientes pacem indicerent, qualiter etiam & Angeli dixerunt, Luc. 2., *Gloria in excelsis Deo*, & in terra pax hominibus: quoniam hæc maxime est pax, cum id quod ægrotat, inciditur, cum id quod litem infert, separatur: ita enim possibile erit caelum terræ copulari. Nam & medicus ita reliquum conservat corpus, cum id quod insanabiliter se habet absciderit. Ita quidem & in turri Babel gestum est: malam enim pacem reliquum conservat solvit. Ita & Paulus eos qui adversus eum consonabant, divisiit. Non enim ubique concordia bonum est: nam & latrones (2) consonant. Hoc autem prælium non est sui propositi, sed illorum consilii. Hieronymus (ibidem.) Ad fidem enim Christi totus orbis contra se divisus est. Unaquæque domus & infideles habuit, & credentes; & propterea bellum misum est bonum, ut rumperetur pax mala. Chrysostr. (hom. 36. in Math. sub initio fere.) Hoc autem dixit quasi discipulos consolans; ac si diceret: Ne turbemini, quasi præter spem his contingentibus: propter hoc enim veni, ut prælium mittam. Et non dixit, *Prælium*, sed, quod difficilium est, *Gladium*. Voluit enim asperitate verborum eorum excitare auditum, ut non in difficultate rerum desiciant, ne aliquis dicat, quod blanda suavit, sed difficilia occultavit. Melius est enim in rebus mansuetudinem videre, quam in verbis; & propter hoc in his non stetit, sed exponens prælii speciem, ostendit hoc esse civile bello difficilium, dicens: *Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam.* In quo ostendit quod non solum in familiaribus erit hoc prælium, sed in amantissimis, & valde necessariis: quod maxime Christi virtutem ostendit: quia discipuli hæc audientes & ipsi susceperunt, & aliis suaserunt. Quamvis autem non ipse Christus hanc separationem fecerit, sed illorum malitia; tamen

S. Thom. Oper. Tom. VIII. Z 2. Ba.

(1) Al. sicut mors non debet attrahere. (2) Al. consonabant. (3) Al. non esse cognatum. (4) Al. recisi, quia. P. Nicolai habet recisi que quibusdam, &c.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Interlinealis; quæ tamen initium illud non habet. Vel aliter continua, sed sequentia simpliciter pro ponit.

dicat se facere, secundum Scripturæ consuetudinem. Scriptum est enim (Esaï. 6.) „ Dedit „ eis Deus oculos ut non viderent. „ Hoc autem maxime ostendit, verus testamentum (3) novo esse cognatum. Etenim in Judæis unumquisque proximum interfecit, quando vitulum fecerunt, & quando Beelphegor immolaverunt: unde, ut monstraret eundem esse cui hæc & illa placuerunt, prophetæ meminor, dicens: *Et inimici hominis, domesticus ejus.* Et in Judæis tale aliquid contigit: erant enim Prophetæ, & pseudoprophetæ; & plebs fidebatur, & domus dividebantur; & hi quidem his credebant, alii autem illis. Hieronymus (super *Veni enim separare*.) Hic autem locus prope istdem verbis in Michæa Prophetâ scribitur. Et notandum ubi-cumque de veteri testamento testimonium ponitur, utrum sensus tantum, an & verba consentiant. Hilarius (can. 10. post med.) Mystice autem gladius telorum omnium acutissimum est, in quo est jus potestatis, & iudicii, severitas, & animadversio peccatorum. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio: qui gladius missus est in terram; id est, predicatio ejus hominum cordibus infusa. Hic igitur quinque habitantes in una domo dividit, tres in duos, & duos in tres: & tria ad hominem referimus; id est, corpus, & animam, & voluntatem: nam ut corpori anima data est, ita & potestas homini utendi utroque ut vellet, indulta est: atque ob illud lex est proposita volunrati. Sed hoc tantum in illis deprehenditur qui primi à Deo figurati sunt. Sed ex peccato, atque infidelitate primi parentis, sequentibus generationibus cepit esse corporis nostri pater peccatum, mater animæ infidelitas. Voluntas autem sua unicuique adiacet: ergo jam unius domus quinque sunt. Cum ergo innovamur baptismi lavacro, per virtutem verbi ab originis nostræ peccatis separamur, (4) recisive quadam abfectione diaboli Dei; à patris & matris affectionibus discedimus, sitque gravis in domo una dissenso, & domestica novo homini erunt inimica: quia ille manere in spiritus novitate gaudebit; ea vero quæ à profana antiquitate deducta sunt, consistere in his quibus oblectantur concupiscunt. Augustinus de Quæst. Evangel. (in Math. quæst. 3.) Vel aliter. *Veni separare hominem adversus patrem suum*: quia renunciat quis diabolo qui fuit filius ejus; & filiam adversus matrem suam; id est, plebem Dei adversus mundanam civitatem, hoc est perniciosa societatem generis humani, quam nunc

Babylonia, nunc Ægypto, nunc Sodoma, nunc aliis atque aliis nominibus Scriptura signat. *Nurum adversus socrum suam*: Ecclesiam adversus synagogam, quæ secundum carnem Christum peperit sponsam Ecclesie. Dividuntur autem in gladio spiritus, quod est verbum Dei. *Et inimici hominis, domestici ejus*, cum quibus ante consuetudine implicatus erat. *Rabbanus*. Nulla apud eos jura custodiri possunt inter quos fidei bellum est. *Glossa (a)* Vel aliter. Hoc dicit, quasi dicat: Non ad hoc inter homines venit carnales affectus confirmem, sed spirituali gladio dissecem: unde recte dicitur: *Et inimici hominis domestici ejus*. *Gregorius 3. Moral. (cap. 5)* Callidas namque adversarios, cum à bonorum cordibus repellisse, conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur, exquirat, & per eorum verba blandiens loquitur qui plus ceteris amantur, ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis ejus gladius ad intimam recititudinis (r) munimina irrumpat.

(o) *Hieronymus* (super illud, *Qui amat patrem*). Quia ante præmiserat: *Non veni pacem mittere, sed gladium, & dividere hominem adversus patrem, & matrem, & socrum*; ne quis pietatem religioni auferret, subjecit, dicens: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*. Et in Cantico legimus Cantorum (cap. 2.), *Ordinavit in me caritatem*. Hic enim ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum patrem, aut matrem; aut filios. Si autem necessitas venerit ut amor parentum, aut filiorum Dei amori comparetur, & non possit utrumque salvari; odium in suos; pietas in Deum est. Non ergo prohibuit amari patrem, aut matrem; sed signanter addidit, *Plusquam me*. *Hilarius* (can. 10. prope finem). Illi enim qui domesticas hominum caritates dilectioni ejus præulerint, futurorum bonorum (2) indigni erunt hæreditate. *Chrysostramus* (hom. 36. ante med.). Si autem Paulus jubet, per omnia parentibus obedire, non miteris; in illis enim solum dicit obediendum quæ non nocent pietati; etenim sanctum est omnem eis alium reddere honorem; cum autem amplius debito exegerint, non oportet assensere. Sunt autem hæc veteri testamento consonantia: etenim illic eos qui idola colebant, non odio habere solum, sed & lapidare Dominus jubet; & in Deuteronomio (cap. 33.) dicitur: „Qui dixerit patri suo, & matri suæ, Nescio vos; & fratribus suis,

(1) *Al. omniunen.* (2) *Al. indiguerunt.* (3) *Al. omittitur id.* (4) *Supplet sensum P. Nicolaj hoc modo*: Sed tamen & hanc nisi oderis, contraria retribuatur tibi. Non tamen simpliciter eam haberi odio jussit, &c.

Ex edit. P. Nicol. (a) Interlinealis. (b) Nec in Glossa quæ nunc est, nec in Anselmo extat, ut nec apud alium Interpretem occurrit.

„ Ignoro illos: hi custodierunt eloquium tuum “ *Glossa (b)* Videtur autem (3) id in pluribus accideret ut parentes plus diligant filios, quam filii diligant eos: & ideo gradatim postquam suum amorem amori parentum esse præponendum docuit, docet consequenter præferendum esse filiorum amori, dicens: *Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Rabbanus*. Per quod signat illum divini confortio esse indignum qui consanguinitatis carnalem amorem præponit spirituali amori Dei. *Chrysostramus* (in hom. 36.) Deinde ut non moleste ferant illi, scilicet quibus amor Dei præfertur, ad alteram adducit sermonem. Anima enim nihil est familiarius alicui; (4) sed tamen & hanc non simpliciter eam haberi odio jussit, sed ut eam quis tradat in occisiones, & sanguines, ostendens quod non solum ad mortem oportet esse paratum, sed ad mortem violentam, & reprobissimam, scilicet mortem crucis: unde sequitur: *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*. Nihil autem adhuc eis de propria dixerat passione; sed intantum in his eos erudit ut sermonem de passione ejus magis suscipiant. *Hilarius* (can. 10. super *Qui non accipit crucem*). Vel qui Christi sunt, crucifixerant corpus suum cum vitiis; & concupiscentiis; & indignus est Christo qui non crucem suam, in qua comparatur, commoritur, conspelimur, confurgimus, accipiens, Dominum sit secutus, in hoc sacramento fidei spiritus novitate victurus. *Gregorius* in hom. (32. in Evang. al. hom. 37.) Crux quippe à cruciata dicitur, & duobus modis crucem Domini basilamus, cum aut per abstinentiam carnem asfligimus, aut per compassionem proximi, necessitatem illius nostram putamus. Sciendum vero est, quod sunt nonnulli qui carnis abstinentiam non pro Deo, sed pro inani gloria exhibent; & sunt nonnulli qui compassionem proximo, non spiritualiter, sed carnaliter impendunt, ut ei non ad virtutem, sed quasi miserando ad culpas faveant: Hi itaque crucem videntur ferre, sed Dominum non sequuntur; & ideo ait, *Et sequitur me. Chrysostramus* (hom. 36. in Matth. ante med.) Quia vero præcepta hæc quæ injunguntur, onerosa videbantur, ponit & utilitatem eorum maximam existentem, dicens: *Qui invenit animam suam, perdet eam*; quasi dicat: Non solum hæc quæ præmissi, non nocent, sed maxime proderunt: con-

traria vero nocebunt: & hoc ubique facit. Ab his enim quæ homines concupiscunt inducit, sicut si dicat: Propter quid non vis contemneret animam tuam? Quia diligis eam? Quocirca propter hoc contemne, & tunc ei maxime proderis. *Remigius*. Anima autem in hoc loco non substantia est intelligenda; sed hæc vita præsens; & est solus: Qui invenit animam suam, scilicet hanc præsentem vitam; id est, qui hanc lucem, & ejus dilectionem, & voluptates ad hoc desiderat ut semper invenire possit; vitam quam semper servare cupit; perdet, & animam suam æternam damnationi præparat. *Rabbanus* (hoc loco). Vel aliter. Qui salutem animæ suæ querit æternam, (1) eam perdere, hoc est, in mortem dare, non dubitat. Utrique autem sensui congruit apte quod sequitur: *Et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Remigius*. Id est, qui hanc temporalem lucem, & ejus dilectionem, & voluptates tempore persecutionis propter confessionem nominis mei contempserit, anima suæ inveniet æternam salutem. *Hilarius* (can. 10. prope finem). Sic ergo proficit lucrum animæ in mortem, & damnium in salutem: detrimentum enim brevis vitæ, æternus immortalitatis acquiritur.

(p) *Hieronymus* (super illud, *Qui recipit vos, me recipit*). Dominus ad prædicationem discipulos mittens, docet pericula non timenda, & affectum subijcit religioni; aurum supra raterat, & de zona excusserat: dura Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, unde victus, unde necessaria, & cetera? Et ideo austeritatem præceptorum spe temperat promissorum, inquires: *Qui recipit vos, me recipit*; ut in suscipiendis Apostolis unumquodque creditum Christum se suscepisse arbitretur. *Chrysostramus* (hom. 36.) Sufficientia siquidem erant præmissa ad persuadendum eis qui erant Apostolos suscepuri. Quis enim eos qui ita erant fortes, & (2) omnia contemnebant, ut alii salvarentur, non susciperet omni cum desiderio? Et superius quidem poenam comminatus est his qui non reciperent; hic autem retributionem promittit recipientibus. Et primo quidem repromittit honorem suscipientibus Apostolos; ut Christum suscipiant, & etiam Patrem: unde subdit: *Et qui me recipit, recipit eum qui me misit*. Quod autem huic honori fiet æquale, ut quis Patrem, & Filium recipiat? *Hilarius* (can. 10. paulo ante finem). In quibus verbis docet etiam in se mediatoris officium, qui cum sit receptus à nobis, atque ipse profectus ex Deo sit, Deus per illum transfusus in nobis sit; &

(1) *Al. deest eam.* (2) *Al. omnes.* (3) *Al. omittitur est.* Ex edit. P. Nicol. (a) *Gregorius* in hom. 20. in Evang.

per hunc ordinem gratiarum non (3) est aliud Apostolos recepisse quam Deum; quia & in illis Christus, & in Christo Deus habitat. *Chrysostramus* (hom. 36. paulo ante med.) Promittit autem post hæc & aliam retributionem, dicens: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*. Non autem simpliciter dicit, *Qui suscipit Prophetam*; aut *qui suscipit justum*; sed addit, *In nomine Prophetæ, & in nomine justit*; hoc est, si non propter vitæ hujus continentiam, neque propter aliud temporalium susceperit, sed quia vel Prophetæ est, vel justus. *Hieronymus* (super illud, *Qui Prophetam recipit*). Vel aliter. Quia ad susceptionem magistrorum discipulos provocaverat, poterat crediturum occulta esse responso: Ergo & pleuropphetas, & Judam proditorem debemus suscipere. Unde Dominus dicit, non personas suscipiendas esse, sed nomina; & mercedem non perire suscipientis, licet indignus fuerit qui susceperit. *Chrysostramus* (hom. 36. paulo ante mediam). Dicit autem *Mercedem Prophetæ, & mercedem justit accipiet*; id est, qualem decens est accipere eum qui suscipit Prophetam, vel justum, vel qualem Prophetæ, aut justus est accepturus. (a) *Chrysostramus* in hom. (36.) Non enim ait mercedem de Prophetæ, vel justo, sed mercedem Prophetæ, vel justit. Iste enim fortasse justus est, & quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro justitia fiduciam majorem habet. Hunc cum ille sustentat qui in hoc mundo aliquid possidet, illius justitiæ libertatem sibi participem facit, & cum eo pariter justitiæ præmia recipiet quem sustentando adjuvit. Ille prophetiæ spiritu plenus est, sed tamen corporeo eget alimento: & si corpus non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui igitur prophetiæ alimenta tribuit, vires illi ad loquendum dedit; cum Prophetæ ergo mercedem Prophetæ accipiet qui hoc ante Dei oculos exhibuit quod adjuvit. *Hieronymus* (super his verbis). Mystice autem qui Prophetam recipit, ut Prophetam, & intelligit eum de futuris loquentem; hic prophetiæ mercedem accipiet. Igitur Judæi carnaliter intelligentes Prophetas, mercedem non accipient Prophetarum, *Remigius*. Nonnulli vero Prophetam intelligunt Dominum Jesum Christum, de quo Moyses dicit (Deut. 18.) „ Prophetam „ vobis suscitabit Deus: „ quem similiter per justum intelligunt, quia incomparabiliter justus est. Qui ergo in nomine justit, & Prophetæ, scilicet Christi, Prophetam vel justum suscipit, ab eo recipiet remunerationem pro cujus amo-

re

(1) *Al. deest eam.* (2) *Al. omnes.* (3) *Al. omittitur est.* Ex edit. P. Nicol. (a) *Gregorius* in hom. 20. in Evang.

re recipit. Hieronymus (circa fin. Com. in cap. 10. Matth.) Poterat autem aliquis causari, & dicere: Paupertate prohibeor ut hospitalis esse non possim, & hanc excusationem levissimum exemplo diluit, ut calicem aquæ frigidæ toto animo potrigamus, dicens: *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, aquæ frigidæ calicem tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Frigidæ, inquit, non calidæ, ne & in calida paupertatis, & penuriae lignorum occasio quæreretur. Remigius. Dicit autem, *Minimis*, idest non Prophetæ, non iusto, sed alicui ex minimis. *Glossa* (ordinaria.) Ubi nota, Deum magis ad pium affectum dan-

(1) *Al.* Ut minimi.

tis respicere quam ad quantitatem rei exhibitæ. (1) Vel minimi sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo, & iudices erunt cum Christo. *Hilarius* (can. 10. in fine.) Vel prævidens plures futuros tantam apostolatus nomine gloriosos, omni vero vite suæ opere improbabiles; obsequium quod ipsi sub religionis opinione delatum est, mercede non fraudat: nam licet & ipsi minimi essent, idest peccatorum omnium ultimi, non inania tamen in eos, etiam levia, sub frigidæ aquæ nomine designata, officia esse decernit. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor præstitus est.

CAPUT XI.

(a) **ET** factum est cum consummasset Jesus præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum.

(b) Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.

(c) Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatum? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam prophetam: hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

(d) Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Qui autem minor est in regno cælorum, major est illo.

(e) A dictis autem Joannis Baptista usque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ, & lex usque ad Joannem prophetaverunt: & si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. Qui habet aures audiendi, audiat.

(f) Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coequalibus dicunt: Cecinimus vobis, & non saltatis; lamentavimus, & non planxistis. Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens; & dicunt, Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis.

(g) Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere poenitentiam egissent. Veruntamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remissus erit in dei iudicii quam vobis. Et tu Capharnaum numquid usque in cælum exaltaberis? Usque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Veruntamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissus erit in dei iudicii quam tibi.

(h) In illo tempore, respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam hoc fuit placitum tui te.

(i) Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

(k) Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

Rab-

(a) **R**abbamus. Postquam discipulos suos Dominus ad prædicandum mittens præmissis verbis eos instruxit, ipse etiam quod docuerat verbis, factis implevit, offerens primam prædicationem Judæis; & hoc est quod dicitur: *Et factum est cum consummasset Jesus.* Dicit autem, *Transiit inde.* *Chrysostomus* in hom. (37.) Quia enim eos misit, subtraxit seipsum, dans locum eis, & tempus facere quæ injunxerat: eo enim præsentem & curantem: nullus ad discipulos vellet accedere. *Remigius.* Pulchre autem (1) de speciali doctrina; qua scilicet Apostolos instruxerat, ad generalem transit, in civitatibus prædicando: quia in hoc de cælis ad terras descendit, ut omnes illuminaret: in quo factio monentur etiam sancti prædicatores, ut omnibus proficere studeant.

(b) *Glossa* (a) Poterat supra Evangelista quomodo per miracula, & doctrinam Christi tam discipuli, quam turbæ (2) instruebantur; nunc ostendit quomodo hæc instructio usque ad discipulos Joannis perveniret, qui ad Christum æmulationem habere videbantur: unde dicit: *Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* *Gregorius* (hom. 6. in Evang.) Quærendum autem nobis est. Joannes Prophetæ, & plusquam Prophetæ, qui veniente ad baptismum Dominum ostendit, dicens (Joan. 1.) „ Ecce „ agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: „ cur in carcere positus mittens discipulos requirit: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* tamquam si ignoraret quem ostenderat, & an ipse sit nesciat quem ipse prophetando, baptizando, ostendendo, ipsam esse clamaverat. *Ambrosius* super Luc. (cap. 7.) Nonnulli autem hoc sic intelligunt. Magnum quidem ita Prophetam esse Joannem, ut Christum agnosceret, annuntiare remissionem peccatorum futuram; sed tamen, tamquam pium varem, quem venturum crederent, non credidisse moriturum. Non igitur fide, sed pietate dubitavit. Dubitavit etiam Petrus dicens (intra 16.) *Proptius tibi esto Domine: non fiet hoc.* *Chrysostomus* in hom. (37.) Sed non utique hoc habet rationem. Joannes enim neque hoc ignorabat, sed hoc primum testatur est dicens (loc. cit.) „ Ecce agnus Dei, „ ecce qui tollit peccata mundi. „ Agnum enim vocans, crucem divulgat; nec aliter quam per crucem peccatum astitit mundi. Qualiter autem major Prophetæ est his, si neque quæ Prophetarum sunt novit? Et enim Esaias (cap. 53.) dicit: „ Sicut ovis ad occisionem ductus „ S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al.* de spirituali. (2) *Al.* instruantur.

Ex edit. P. NICOL. (a) Nec in Glossa, nec in Anselmo est, ut nec apud alium Interpretem occurrit.

„ est. „ *Gregorius* in homil. (6. in Evang.) Sed aliter hæc questio solvitur, si gestæ rei tempus pensatur. Ad Jordanis enim fluenta postus, quia ipse Redemptor mundi esset, asseruit; missus vero in carcerem, an ipse veniat; requirit non quia ipsum esse mundi Redemptorem dubitat; sed quærit, ut sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat. *Hieronymus* (super *Tu es qui venturus es?*) Unde non ait, Tu es qui venisti? sed Tu es qui venturus es? & est sensus: Manda mihi, quia ad inferna descensurus sum, utram te etiam inferis debeam nuntiare; an alium ad hæc sacramenta missurus es? *Chrysostomus* in hom. (37. à medio.) Sed qualiter & hoc habet rationem? Cujus enim gratia non dixit, Tu es qui venturus es in infernum? sed simpliciter, *Qui venturus es?* Quamvis & derisibilis videatur quod propter hoc ei dixerit: ut & illuc abiens prædicaret: præsens enim vita, gratiæ tempus est; post obitum autem iudicium est, & pœna: quare in nullo opus erat præcurfore illic. Sed aliter. Si infideles post mortem credentes essent salvandi, nullus peribit aliquando: omnes enim pœnitebunt tunc, & adorabunt. „ Omne enim genu flectetur, cælestium, terrestrium, & infernorum: „ *Philip.* 2. *Glossa.* Considerandum autem est, quod non ideo Hieronymus, & Gregorius dixerunt, quod Joannes adventum Christi in infernum prænanturaturus esset, quia ejus prædicatione aliqui non credentes converterentur ad fidem, sed ut iustis in expectatione Christi manentibus ex vicino adventu consolationem afferret. *Hilarius* (can. 11. in princ.) Certum est tamen quod qui venturum ut præcurfor nuntiavit, consistentem ut propheta agnovit, ad eum ut confessor veneratus est, ejus abundantia scientiæ error non obrepit. Nec sane credi potest, Spiritus Sancti gratiam in carcere posito defuisse, cum Apostoli virtutis suæ lumen esset in carcere positus ministraturus. *Hieronymus* (in princ. Com. in cap. 11. Matth.) Non ergo quati ignorans interrogat; sed quomodo Salvator interrogat, ubi sit Lazarus positus, ut qui locum sepulchri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem, ut viderent mortuum resurgentem; sic & Joannes interficiendus ab Herode discipulos suos mittit ad Christum, ut per hanc occasionem videntes signa, atque virtutes, crederent in eum, & magistro interrogante sibi discerent. Quæ autem haberent discipuli Joannis aliquid mordacitatis ex invidia adversus Dominum, superior quoque interrogatio demonstravit cum di-

A 3

xe-